



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Hæmorrhousa.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

*Hæmorrhœsa.*

MEDITATIO CXV.

*Mulier sanguinis profluvio laborans  
sanatur.*

I. **C**ontigit, dum iret Iesus, à turbis com-  
primebatur. *Luc. 8. v. 42.* Et ecce mu-  
lier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duo-  
decim annis, *Matth. 9. v. 20.* quæ in medi-  
cos erogaverat omnem substantiam suam,  
*Luc. 8. v. 43.* & fuerat multa perpessa à  
compluribus medicis, nec quicquam profe-  
cerat, *Marc. 5. v. 26.* nec ab ullo potuit cura-  
ri, *Luc. 8. v. 43.* sed magis deterius habebat:  
cùm audisset de Iesu, venit in turba: *Marc.*  
*5. v. 26. & 27.* accessit retrò, & tetigit fim-  
briam vestimenti ejus. *Matth. 9. v. 20. Luc.*  
*8. v. 44.* Dicebat enim intra se, si tetigero  
tantùm vestimentum ejus, salva ero. *Matth.*  
*9. v. 21. Marc. 5. v. 28.* Et confestim sicca-  
tus est fons sanguinis ejus. *Marc. 5. v. 29.*  
Confestim stetit fluxus sanguinis ejus: *Luc.*  
*8. v. 44.* & sensit corpore, quia sanata esset  
à plaga. *Marc. 5. v. 29.*

II. Et statim Iesus in semetipso cogno-  
scens virtutem, quæ exierat de illo, conver-  
sus ad turbam, aiebat: **Quis tetigit vesti-  
menta**

menta mea? *Marc. 5. v. 30.* Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant, *Luc. 8. v. 45.* discipuli sui: *Marc. 5. v. 31.* Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt. *Luc. 8. v. 45.* Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? *Marc. 5. v. 31.* Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse. *Luc. 8. v. 46.* Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. *Marc. 5. v. 32.*

III. Videns autem mulier, quia non latuit: *Luc. 8. v. 47.* timens & tremens, sciens quòd factum esset in se, venit & procidit ante eum. *Marc. 5. v. 33.* Procidit ante pedes ejus, *Luc. 8. v. 47.* & dixit ei omnem veritatem: *Marc. 5. v. 33.* & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit. *Luc. 8. v. 47.* At Iesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit: *Matth. 9. v. 22.* vade in pace, *Marc. 5. v. 34.* *Luc. 8. v. 48.* & esto sana à plaga tua. *Marc. 5. v. 34.* Et salva facta est mulier ex illa hora. *Matth. 9. v. 22.*

*Hydropicus.*

MEDITATIO CXVI.

*Christus hydropicum Sabbato curat.*

I. Fa-